



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An Ratio entis Realis præcisa à Deo & Creatura, substantia & Accidente
sit illis univoca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

ra, sed creatrix essentia, quasi diceret, nihil est intrinsecè & ex parte sua, sed extrinsecè & ex parte solius Dei tantum, quod non est ens possibile esse, sed Deum esse, ut consideranti patebit.

VII. Probatur 1^o, quia illud esse diminutum, ut tale, esset à se, vel à Deo? si esset à Deo, non esse posset, quod est falsum, attendendo ad intrinsecam entis possibilitatem, quæ est à Deo independens: si à se, haberet etiam esse existentia à se, sicut habet secundum se esse essentia à se actuale; quia quidquid habet esse essentia à se actuale, habet & esse existentia à se, ut constat de Deo Patre; unde rectè SS. Patres, ut Cyrillus noster lib. 1^o. in Ioan. August. lib. 10. de Trinit. cap. 66^o. Quod à Deo factum est, est Deus, vel nihil, ergo, &c. solus autem Deus habet esse à se: ergo, &c.

VIII. Probatur 2^o, vel illud esse diminutum ab æterno existens, est à Deo communicatum necessarium, aut liberè? non secundum, quia certum est Deum in tempore capisse operari ad extra liberè: non primum, quia similiter certum est Deum nihil operari ad extra necessarium: ergo, &c.

IX. Confirmatur 1^o, quia alioqui nihil Deus creare posset aut annihilare; nam semper præcederet & remaneret rei possibilitas, sive esse entis possibilis diminutum, hoc autem est valde absurdum, etiam in fide: ergo, &c.

X. Confirmatur 2^o, existentia rei ut possibilis fuit ab æterno, vel non? si primum, res omnis possibilis semper existit, quod non admittunt; tamen patet quia vel ipsa rei existentia semper existit secundum esse diminutum: si secundum, idem de quacunque re dicendum est: ergo, &c.

XI. Dices ex P. Poncio de ente ut sic Disput. 69. q. 5. in Additione. Illud esse diminutum est ens medium inter ens rationis & ens realiter existens, hoc sensu, quod habeat quamdam convenientiam seu proportionem cum utroque, quatenus scilicet non existit realiter, sicut nec existit ens rationis; & non repugnat tamen ipsi existere, sicut nec repugnat enti realiter existenti: ergo, &c.

XII. Respondeo petendo quid sit illud medium: vel enim est negatio existentia entis, quod si existeret, non involveret in suo conceptu formali duò contradictoria; vel istius negationis contradictorium? si primum, ens illud diminutum non plus est ens, quam negatio entis existentis: si secundum, ratio ista non iustificat sententiam P. Poncii contra graves censuras Mastrii, ut consideranti patebit: si verò verum est, quod ibi conclus. 2^a. docet, videlicet, illud esse diminutum non consistere in non repugnantia, puta conditionali à nobis dicta, sed esse aliquid illi oppositum: hoc secundum consequenter docere debet: Quare ipse viderit.

D V B I V M I I I.

An Ratio entis Realis præcisa à Deo & Creatura, substantia & Accidens sit illis univoca?

R E S O L U T I O.

XIII. **D**ico, Ratio entis realis præcisa à Deo, &c. est illis univoca.

XIV. Probatur, quia ens eodem modo se habet ad Deum & creaturam, quo animal ad hominem & brutum. Sed hoc ab omnibus dicitur respectu hominis & bruti univocum, ergo & ratio entis, &c.

XV. Confirmatur, sive ens abstrahas ab alicuius

limitata creaturæ, sive ab afeitate illimitata Dei, semper dicit formaliter, cui non repugnat existere, & nihil aliud formaliter: ergo, &c. Ex his

XVI. Collige dependentiam, vel independentiam, prioritatem vel posterioritatem, &c. non se tenere ex parte rationis entis communis; sed ex parte differentiarum illam contrahentium; ac proinde nullo modo posse impedire univocationem, magis, quam rationale, aut irrationale, possit impedire, ne animal sit animal: quod verò hinc sequatur ens fore univocum genus ad Deum & creaturas, nihil absurdum, si intelligatur de genere transcendentali, & non de prædicamentali, præsertim cum in Logica ostenderimus substantiam esse verum genus ad Deum & creaturas substantiales completas, nec plus repugnare essentiam Divinam ratione solâ formali perfici per differentiam, attributa, personalitates, &c. quam illa ratione formali ab essentia distinguatur: unde sicut tali distinctione distingui, nec repugnat simplicitati Dei, nec involvit ullam imperfectionem intrinsecam, sed solam extrinsecam conceptus nostri; ita nec tali compositione Metaphysicâ componi repugnat simplicitati Dei; nec involvit ullam imperfectionem intrinsecam, &c.

XVII. Scotistæ communiter, ut huius sequelæ difficultatem effugiant, fingunt differentias contrahentes ens, non esse differentias, sed modos; genus verò debere per differentias contrahi & non per modos: verum lubenter scirem, quare hæc vocent modos, non verò materiale & immateriale respectu substantiæ; materiale enim & immateriale, tam sunt realiter intrinsecè substantia, quam alicuius accidentis & perfectas substantiæ, ab alicuius creaturæ & afeitas Dei, sint ens reale; & sicut materiale concipi potest, ut præcisè formaliter constitutum hominis, & ejusdem à non hominibus distinctum formaliter (& sic de irrationali;) ita potest perfectas concipi præcisè ut formaliter constitutiva substantiæ, & ejusdem à non substantiis distinctiva formaliter, quomodo non includit ens in suo conceptu formali: deinde dicant obsecro, cur genus debeat per differentias contrahi & non per modos, cum substantia à non substantiis, tam differat, & sit ens; quam homo per rationale à non hominibus differat, & sit animal.

XVIII. Obijcies ex Aristotele 4^o. Metaph. Text. 3^o. & 7^o. ejusdem Text. 16^o. ubi docet ens, nec univocè, nec æquivocè dici; sed ut sanum, id est, Analogicè.

XIX. Respondeo Aristotelem solum velle ens secundum aliquid, ut sanum, dici, scilicet antonomasticè & 1^o de substantia, sicut antonomasticè & 1^o sanum dicitur de animali; sed non secundum omnimodam comparationem; alioqui sicut extrinsecè tantum sanum dicitur de medicina, ita extrinsecè tantum (etiam objectivè) ens diceretur de accidente, quod falsum est.

XX. Adde quòd dicta primaritas, & antonomasia, non impediatur univocationem, ut patet in substantia respectu Dei & creaturæ, animali respectu hominis & bruti.

D V B I V M I V.

An Ens includatur in differentiis immediatè contrahentibus.

R E S O L U T I O.

XXI. **D**ico, ens non aliter includitur in differentiis immediatè contrahentibus, quam substantia